



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]

Torres, Francisco de

Coloniae, 1573

VD16 T 1629

Cap. I. De similitudine, quam Magd. in epistolas pontificum apostolicorum obijciunt, styli, argume[n]ti, & materiae: & de caractere epistolae primae Clementis, collato cu[m] caractere librorum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-29685

eorum Pontificum epistolas, aut Apostolos. Quorum alterum quia Ebionis & similibus esse videbatur, alterum acti præcipites elegerunt. Ex quo factum est, vt, quanto possent studio, quærent, non solum quid in ijs ipsis epistolis intelligerent, quod eis non probaretur, sed etiam quid non intelligerent: vt, sicut Apostolus Judas de quibusdam hæreticis dixit, id omne blasphemarent. Nos igitur nunc, adiuuante Dei gratia, vtrunque faciemus, &, quæ illis non probantur, defendemus: &, quæ ignorarunt, à praua interpretatione & sensu vindicabimus. postremo loco, vt institutio scribendi à ratione suscepta, postulat, postquam ad ea, quæ in epistolas obijciuntur, responsum erit, multiplici genere testimoniorum alijsq; argumentis veritatem earum confirmabimus. vt tandem intelligant omnes, verissimas esse epistolas, & suis authoribus grauisimis ac sanctissimis valde dignas: Magdeburgenses verò non solum inicitia, sed, quod grauius est, malitia conscientia teneri constrictos.

De similitudine, quam Magdeb. in epistolas pontificum Apostolicorum obijciunt, styli, argumèti, & materiae: & de caractere epistolæ primæ Clementis, collato cum caractere librorum eiusdem Clementis de constitutionibus Apostolorum.

Cap. 1.

Incipiamus igitur respondere, atque eo quidem ordine, quo isti accusarunt, non ab arte profecto, sed ad iudicium eorum accommodato, qui, quæ infirmiora erant & leuiora, immò infirmissima & leuissima, & vix responsione digna, de styli similitudine, in primis accusationis suæ partibus, tanquam in prima acie, vt rudes centuriones, collo canda esse putauerunt. Etenim si primo loco, alioqui infirmissimo, dissimilitudinem potius styli contra epistolas obiecissent, videri fortasse poterat, quod inde accusationem orsi essent, non omninò sine artificio fecisse. Stylus enim, etsi non semper certus index, præsertim in quibusdam authoribus, veri operis esse solet, quo ad discernendos veros libros à falsis sæpè vti consueuimus, vt à quibusdam in Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & alijs est factum. Est enim aliquandò stylus authoris sui ita proprius, vt facile ex eo, & quidem mediocri iudicio, opus eius dignosci possit, vt in Tertulliano, Apuleio, Plinio maiore, Tranquillo, atque alijs eiusmodi, nè omnes enumerem. Sed quia ab ijs Pontificibus, quorum isti epistolas negant, nihil præter eas ipsas epistolas scriptum habemus, relicta dissimilitudine styli, quæ ob hanc causam obijci non potuit, ad similitudinem styli, argumèti & materiae, ridiculè se transtulerunt: tametsi in vna epistola Clementis, quam ijsdem omnibus machinis & totis viribus oppugnant, similitudinem styli cum alijs libris eiusdè authoris, qui adhuc extat Græcè scripti, conferre licet. Quæ tanta quidem est, vt parùm se in Græcis literis profecisse demonstret, qui eiusdem authoris esse non statim iudicet:

V

idq;

*Styli epistola
Clem. collas-
tio cum libris
eiusdem de
const. apost.*

idē; si non solum sermonem, sed etiam doctrinam simul conferat: in his enim duobus cernitur character eius. Unde sanctus Epiphanius de ijs libris à Clemente Romano compositis, qui de Periodis Petri sunt inscripti, quos, ut ille ait, paucis relictis integris, totos Ebionæi deprauauerant: Ipse, inquit, Clemens, ijs epistolis, quas scripsit ἐκκλησίῳ, quæ in sanctis ecclesijs leguntur, eos in omnibus redarguit: quia alium characterem fides eius & sermo habet, quàm ea, quæ illi nomine Clementis corruerunt. In epistolis enim virginitatem docet, quam illi non probant: Clemens Eliam, Dauid, Sampsonem, & omnes prophetas laudat, quos Ebionæi execrantur. Hactenus Epiph. Eadem nuncratione Clementis epistolam iudicare licet, eiusdem esse, quod doctrina eius & sermo eundem characterem habeat, quem ij libri, quos περί διατάξεως ἀποστολικῶν eundem scripsisse, testes sunt omnes antiqui patres, quicumque eos nouerunt: nouerunt autem quamplurimi, quos ego alio loco nominavi. In hac ergo epistola scribit in persona Petri, quæ ab eo præcepta acceperit, cum ordinatus est Episcopus. μήτε ἐγγυητὴν γενόμενον μήτε σωτήρορα, μή δὲ ἐτέρω τινὶ βιωτικῶν παρεμπεπλεγμένον πράγματι, οὐ γὰρ χριστὴν καὶ δικαστὴν χρημάτων ἢ ἀσχολημάτων καθιστάσαι σε θέλει τῶν βιωτικῶν πραγμάτων ὁ χριστός. Interpretemur Latine. Te, inquit, oportet, neque sponsorem esse, neque aduocatum, nec alio quopiam negotio seculari implicari. nō enim vult Christus pecuniarum, aut rerum huius seculi te iudicem fieri. In secundo verò libro τῶν διατάξεων, sic ait, καὶ ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις συμπλεκόμενος, μὴ ἐγγυώμενός τινα, ἢ σωτηροῦν δίκαις χρηματικαῖς, id est, ne se Episcopus negocijs vitæ implicet: ne pro alijs spondeat: ne controuersarū de pecunijs patrociniū suscipiat. Itē præcipit hæc epistola Clementis presbyteris, curare, vt tēpestinè iuuenes matrimonia ineant, vt iuuenilis libidinis laqueos anticipent. πρὸ πάντων, αἰετὸς νέος πρὸς γάμον ζευνύσασθαι ἐν τάχει, προλαμβάνοντες τῆς νεαρῆς ἐπιθυμίας τὰ παγιδεύματα. Idem ac similibus verbis præcipit liber eius quartus περί διατάξεων: σπυδάζετε, inquit, ὡρὰ γάμου ζευνύναι καὶ συναλλάσσειν αὐτοὺς, ἵνα μὴ τῆς ἡλικίας ἐν τῇ ἀκμῇ ζεούσης ἔθῃ πορνικῶπα ἀποβῆ, id est, date operam, vt tempore ad coniugium maturo, eos matrimonio iungatis, ne, in ipso flore ætatis feruescentis, se meretricum consuetudini dedant. Rursus hæc epistola presbyteris præcipit, τοῖς μὲν ὀρφανοῖς ποιεῖν τὰ γονέων: ταῖς δὲ χήραις τὰ ἀνδρῶν παρέχειν: τοῖς ἀκμαίοις τοὺς γάμους, καὶ τοῖς αὐτῶν τέκνοις διὰ τῶν ἐπιτηδεύματων ἐνοεῖν τὰς προφάσεις τῆς ἀναγκαίας τροφῆς, id est, pupillis quidem facere, quæ eorum parentes facere decet: viduis verò præbere, quæ maritos: maturis coniugio, coniuges dare: curare etiam, vt eorum filij exercendis artificijs victum necessarium parent: item præbere opus artificij: imbecillo ad laborandum, misericordiam. Eadem & eisdem ferè verbis, idem liber quartus Clementis præcipit: conferat, qui volet.

Possem

Possem equidem plures alios locos similes conferre, si opus esset, in quibus eadem & doctrinæ & sermonis cernitur forma, quæ character dicitur. Sed nè longior sim, sint hæc satis: præsertim cum idem Clemens in hac epistola esse libros suos *πρὸς τὸν κληρικόν* non obscure significet, cum in persona Petri de iniusto concubitu loquens, quàm graue peccatum sit, subiungit: *Ac significet de libris suis de* libidinis quidem plura sunt genera, vt ipse Clemens vobis exponet: hoc *const. apost.* autem fecit lib. 6. cap. 23. Hactenus de similitudine styli epistolæ Clementis, cum libris eius de constitutionibus Apostolorum collata. Reliquas verò aliorum pontificum epistolas ijdem Magdeburgenses negant, quia ex similitudine characteris suorum aucthorum esse, quorum feruntur, probare non possumus: quia, vt antè dixi, alia eorum scripta non habemus. sed satis hoc probasse videbimur, si ad ea, quæ istos mouent, ita respondeamus, vt ex eis potius ipsarum epistol. sapientia, grauitas, & auctoritas appareat: præsertim si refutatis criminibus, grauissimam testium nostrorum confirmatione suo loco insupèr adhibeamus. Primum igitur, si styli similitudo, & argumenti ac materiæ, vt isti aiunt, ad arguendâ falsitatē epistolarum sanctificarum eorum iudicio valere debet: quia, inquiunt, de primatu Petri, & Regno ecclesiæ Rom. de ordinatione Episcoporum, de nō lædendis, accusandis, deponendis sacerdotibus, itē de appellationibus ad Sedē apostolicam scribunt, consequens est, vt epistolæ quoquē Pauli, Petri, Iacobi fictæ videantur propter similitudinē simplicis characteris, ac similitudinē interdū dogmaticæ & paræneticæ de diuitibus, de māsuetudine, de castitate, de moderatione sermonis, de charitate erga omnes, de cōuersatione honesta sine contentione, absq; iactantia humanæ sapientiæ, de pœnitentia ad salutē, & de non iudicando proximū, de tolerantia tentationū, de piē viuendo ad vtilitatem eorum, qui foris sunt, in gloriam Dei, de obediēdo magistratibus, de amore fraternitatis, de tolerātia persecutionum propter Deum, de viris & vxoribus, parentibus & filijs, dominis & seruis. Sed quid de antiquis pontificibus loquor? immò dicant isti omnium memoriæ nostræ pontificum epistolas non esse eorum, quia mira in eis cernitur styli, materiæ & argumenti similitudo. Negent ista omnia, quæ in publicis tabularijs ciuitatum, & scrinijs seruantur, quod in ipsis actis & processibus, vt vocant, mira item sit similitudo styli, materiæ & causarum, mutatis personis, temporibus & locis. immò, vt isti alio exemplo familiari de imprudentia ridicula magis adhuc redarguantur, dicant quæcunq; ad imitationem vnius exempli à pluribus scribuntur, non esse plurium eorum, qui scripserunt, sed vnius nescio cuius, qui ab illis scripta esse simulauit. Immò illud quoquē ad similitudinem styli & argumenti, quam obijciunt, addere potuerunt, quod sæpè easdem sententias primorum Pontificum Apostolicorum, & eisdem ferè verbis posteriores pontifices in epistolis suis vsurpauerunt, Clementis, Anacletus: vtriusque horum, Euaristus: horum trium, Alexander, & deinceps: ac aliorum etiam seculorum Pontifices illas ipsas sententias, vt sacræ & apostoli-

Vbi Clemens in epist. 1. significet de libris suis de const. apost.

Quanta similitudo styli, argumenti, & materiæ in epist. apostolorum.

cæ traditionis, semper magna reuerentia ac religione conseruauerunt, & re-
petiuerunt, vt de primatu Romani Pontificis, de omnibus causis maiori-
bus ad eum referendis, de non temerè accusandis Episcopis, & de alijs, nè
omnia enumerem. Id quod illis ipsi epistolis Pontificum Apostolicorum
secundi seculi, non solum non minuit fidem, sed & fidem & auctoritatem
auget & confirmat. Sed agè, videamus iam, quæ ista similitudo argumen-
ti & materiæ, quæ epistolas illas, apud istos calumniatores falsas esse argu-
it, quòd de primatu, inquit, Petri, de Regno Ecclesiæ Rom. de ordinatio-
ne Episcoporum, de deponendis sacerdotibus, & de appellationibus ad Sedem
Apostolicam, scribunt. hinc illæ lachrymæ, vt ille ait: hinc, inquam,
illæ calumniæ, & inuidia scilicet & odio Pontificis Rom. quo flagrant: id-
circo enim Petri principatum negant, vt successores in eo principatu ne-
gent. Itaque gratiam Domini nostri in anarchiam carnalem transferentes,
Dominum nostrum Iesum Christum solum Dominatorem negant, vt de
quibusdam scripsit Apostolus Iudas, dum Vicarium eius nolunt habere
sub Christo: quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio illorū non
dormitat: vt de alijs similibus beatus Petrus prophetauit. sed de Petri
principatu respondebo suo loco.

Iud. 1.

2. Pet. 2.

*De ineleganti sermone, qui contra epistolas obijcitur, & de simili vitio
sermonis Pauli, à magnis auctoribus notato, & de vocabulis, quæ Magd.
reprehendunt. item de quibusdam veteribus rudi sermone delectatis, alio-
qui eruditus in studijs humanitatis, & de vocabulis vulgaribus, quibus
usus est Clemens scriptor elegantissimus. Cap. 2.*

Quas voces
& phrasas
parum Lati-
nas in episto-
lis pont. apo-
stolicorum
notarint Ma-
gdeb.
Qui veteres
auctores ele-
gantissimè iu-
dicio Magdes-
burgensium
scripserint.

Pergamus deinceps ad ea, quæ sequuntur, æquæ leuia & ridicula, quæ
in epistolas Pontificum Apostolicorum notauerunt. Reprehendunt enim
genus sermonis inelegantis, & vt ipsi aiunt, parum Latini, pro illis tē-
poribus, quibus purissimè, inquit, & elegantissimè locuti sunt Plinius,
Suetonius, Solinus, Tacitus, Iustinus, & alij quamplurimi. deinde exem-
pla parum Latini sermonis notant: vt, Episcopi sunt obediendi, diligendi,
& summo perè venerandi, & non detrahendi, vel lacerandi. item Patres sunt
venerandi, non respuendi, infidiandi. Phrasas verò portentosas vocant isti
belli Attici has, Episcopus Episcoporum, Patriarcha, Archiepiscopi, Me-
tropolitani, dilectio vestra, regularis mutatio, & alia huiusmodi. Omitto,
quòd isti boni linguæ Latinæ auctores Magdeburgenses, elegantissimè &
purissimè scripsisse dicunt Plinium, Suetonium, Solinum, Tacitum, Iu-
stinum, & reliquos eorum similes: in quo satis se linguæ Latinæ ignaros
ostendunt, & risum Italis mouere possunt, qui in oculis ferunt elegantiam
Plauti, Terentij, Varronis, Ciceronis, Cæsaris, Lucretij, Virgilij, & si qui
alij eiusmodi. Sed largiamur eis, elegantissimè ac purissimè scripsisse istos,
quos dicunt: scilicet, si cum illis Pontificibus suis æqualibus conferantur:
demus